Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1237
Quelle:
Copyright:

te remotior cum *Johannes* noster, ut supra dictum est, diserte annum adventus 1377. eum ipsum, quo scribebat, adsignet. Atque annus hic exacte iis congruit, quae solertissimus inquisitor *Breitkopfius* hac de re p. 9. post *Murrium* adnotavit.

CCCXIII.

292 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 543. f. hunc praefert Titulum: *Divina admirabilis Beati Amadei Apocalypsis. In qua pręcipua Fidei ac Religionis nostrę Mysteria et Sacramenta ita profunde aperteque explicantur, vt nullus penitus de illis tam Philosophis quam Theologis supersit obscuritatis locus.* Adjicitur, testimonio *Job. Eus. Nierembergii* in *Libro de Aff. et Amore erga Mariam V.* c. 8. Originale hujus Libri servari in *Bibl. Regia S. Laurentii in Escuriali.* Id, quod confirmat *Nic. Antonius Bibl. Hisp. vet.* L. X. c. 13. p. 208. ubi addit, Opus jam per manus omnium curiosorum passim ire; corruptum vero ab aliis, multisque erroribus scatens ipsi O. M. Chronographi *Gonzaga* et *Waddingus* non diffitentur, adstipulantibus vulgo Autoribus aliis, quos citat *Theoph. Raynaudus in* Joh. *suo* Evangelista, quos inter *Cornelii a Lapide* jocum dissimulare nequeo, ad C. I. *Apoc.* dicentis: Angelum *Amadeo* collocutum *Scotistam* fuisse. Erat porro *Amadeus* hic e nobilissima *Lusitaniae* familia oriundus, anteaque dictus *Johannes Menesius de Silva* Eremita primum *Hieronymitanus*, post in *Italiam* transgressus Sodalitioque *Franciscano* adscriptus mira ibi pietatis opinione claruit, diemque *Mediolani* 1482. clausit, postquam *Sixto* IV. conscientiae arbitrum egisset. Opus suum ita orditur: *Ego Amadeus fui raptus ex spelunca mea, ubi orabam, in Monticulum quendam, et in Rota, ubi Deo astabant Angeli, et Animae Sanctorum, quos colimus et ueneramur, et dum ibi essem, pauor ac tremor me obruit, nec sciebam uerbum proferre, sed eram quasi homo sine sensu et cognitione. Tunc astitit mibi Vir aspectu decorus, facie et uultu rutilans, et talibus uerbis me alloquitur dicendo: Cognoscis me, serue Dei? ad quem ego; Domine mi, nunquam amplius in loco isto fui, nunquam talem cœtum uidi, nunquam talem splendorem sensi, quomodo te agnoscere possum? At ille; Ego sum Gabriel ille* &c. Atque hinc novae *Apocalypses*, quibus incumbant ingenia, quae *Vetus* non satis exercet. Finis Operis: *legi isti Vestrę aliam non successuram, quia Regni Christi non erit finis.* Adjecit Librarius: *Explicit Aureum hoc imo prorsus Diuinum Opus Reuelationum Beati Amadei*, cui *J. Alb. Fabricius*, qui inde *Psalmos* II. protulit, integro inter *Apocrypha* sua locum dare potuisset, nisi temporibus nostris tam vicinum esset.